

gno invitaret ad mensam suam, iste esset particularis effectus amicitiae regis, non universalis illa communicatio regis ad totum regnum, et ad ministros tamquam caput ad membra: ita similiter est particularis effectus hujus sacramenti; ipsa vero sacramentalis incorporatio ad Christum, et ad passionem illius, est finis universalis respectu aliorum sacramentorum, et respectu omnium fidelium; et sic est finis assequibilis ex intentione eucharistiæ, secundum quod virtus passionis Christi, quæ alligata est sacramentis, principaliter est in eucharistia quatenus continet ipsum Christum, et passionem ejus mystice in separatione sanguinis a corpore; participatione autem est in aliis sacramentis, nec tamen consequimur istam incorporationem per solam sacramentalem sumptionem eucharistiæ, sed etiam per virtuales, quæ invenitur in aliis sacramentis per subordinationem et respectum ad eucharistiam: sumptio autem sacramentalis potius se habet tamquam medium ad illum finem universalem incorporationis cum Christo. Sicut enim omnia sacramenta sunt media et instrumenta ad uniendum nos Christo, et ad percipiendum fructum passionis ejus; ita ipsamet eucharistia, in quantum particulare sacramentum, et secundum sumptionem sacramentalem, est medium ad seipsam ut finis universalis est. Quare in omnibus sacramentis habetur intentio consequendi eucharistiam, non ratione sacramentalis sumptionis ejus (nec enim solum consideratur ut particulare sacramentum) sed ratione incorporationis cum Christo, quæ principaliter datur per hoc sacramentum, et participative per alia. Et hoc modo verificatur dictum S. Dionysii, quod omnis perfectio hierarchica (id est, per ministros Ecclesiæ in sacramentis data)

non contingit nisi per divinissimam eucharistiam, qua ad ipsam ordinantur omnia, ut inferiora agentia ad superius, ut uniantur membra ad caput; et hic finis est intentus, et de facto illum consequimur principaliter per eucharistiam, participative autem et in virtute ejus per alia sacramenta.

XXIII. Ad confirmationem respondetur, quod etiam illa tria sacramenta ordinantur ad eucharistiam, non ratione sumptionis sacramentalis, sed ad conservandum, vel disponendum ad ejus effectum, qui est unio ad Christum et vita æterna. Nam confirmatio roborat nos in fide, et reddit membra Christi fortiora ad confitendum fidem ejus, et consequenter ad conservandum unionem cum Christo, qui est effectus generalis omnium sacramentorum; principaliter tamen appropriatus eucharistiæ, et derivatus ab illa ut a fine. Extrema unctio maxime ordinatur ad conservandam istam unionem cum Christo in ultimo conflictu, et ut præparet nos ad ultimam perseverantiam, et introitum in cælum; et sic maxime respicit vitam æternam, qui est proprius effectus eucharistiæ. Matrimonium significat conjunctionem Ecclesiæ cum Christo, et sic suo modo disponit ad illam conjunctionem animæ cum Christo, quæ specialiter fit in eucharistia: et similiter servit secundo ad reprimendam concupiscentiam, cujus repressio est maxima dispositio ad eucharistiam.

XXIV. Dices: Hac ratione solum ponimus pro fine universali, non ipsam eucharistiam, et Christum ut sacramentum, sed unionem ad Christum absolute, sicut per fidem vivam, et per gratiam cujuscumque sacramenti, si quidem sacramentalis sumptio, et eucharistia in se solum se habet ut sacramentum particulare; ergo incidimus in illud

inconveniens a principio adnotatum et exclusum, quod solum ponimus esse de necessitate salutis unionem ad Christum, qualis fit per gratiam, de quo nulli potest esse dubium; et inde volumus inferre, quod unio ad Christum ut sacramentatum, et intentio ipsius eucharistiæ sit de necessitate salutis.

XXV. Respondetur, quod unio ad Christum ut redemptorem, et ad fructum passionis ejus, sine aliquo ordine explicito vel implicito ad sacramenta dari non potest, quia Christus alligavit virtutem passionis suæ sacramentis, tamquam mediis quibus nobis communicatur fructus redemptionis. Et ita qualis fuerit ordo inter ipsa sacramenta, talis erit et dependentia, atque ordo seu respectus ad hoc sacramentum. Licet enim unio nostra ad Christum non sit nisi per gratiam, tamen gratia ista non datur nobis quomodocumque, sed cum ordine et unione ad Christum ut redemptorem, et ad passionem ejus. Cum autem eadem passio Christi, et idem sacrificium quod fuit in cruce, sit etiam in hoc sacramento eucharistiæ, quia solum differunt penes modum cruenti et incruenti, non penes rem oblatam, et virtutem ejus ad dandam gratiam, sequitur quod tam necessarium sit, quod gratia uniat nos Christo et passioni ejus, sicut fuit in cruce, sicut quod uniat nos ipsi Christo et passioni ejus ut sacramentum, eo quod non applicatur nobis illa virtus, nisi mediantibus sacramentis, inter quæ eucharistia est principalis, et continet ipsum Christum realiter; alia vero participative, et per subordinationem ad eucharistiam, ut ad sacramentum excellentissimum et causam cæterorum, causant istam unionem. Illa vero gratia quam causat eucharistia tamquam particulare sacramentum, non est effectus necessa-

rius ad salutem, quia solum se habet ut augmentum gratiæ; nec unit nos Christo quomodocumque, sed supponendo vitam, non tamquam aliquid necessarium ad ipsam vitam, quia solum unit per modum augmenti. Et licet extra sacramenta actu suscepta possit dari contritio, et actus charitatis ad justificationem, tamen quia id non facit nisi habendo sacramentum in voto, et in quocumque sacramento invenitur ordo ad eucharistiam, ut ad finem universalem, ideo non fit aliqua justificatio sine ordine ad eucharistiam. Quod autem supra diximus, non esse punctum difficultatis de unione cum Christo absolute, sed ut sacramentato, verum est; sed tamen nullum est inconveniens, quod iste punctus difficultatis resolvatur ex illo principio quod caret difficultate, scilicet, quod ex eo quod unio ad Christum absolute sit necessaria simpliciter, et non datur unio ad Christum et ad ejus passionem nisi mediante ordine ad sacramenta, et omnia sacramenta subordinantur eucharistiæ ut principali fini, consequitur quod si est necessaria unio ad Christum absolute, etiam ad Christum ut sacramentum, saltem implicite.

XXVI. Ultimo ex dictis solvuntur omnes aliæ difficultates, quæ possunt fieri contra nostram conclusionem; omnes enim fere æquivocant in illa consideratione, de necessitate eucharistiæ in voto secundum quod est particulare sacramentum, vel secundum quod universalis finis aliorum sacramentorum; et consequenter æquivocatur de voto ut est desiderium sumendi eucharistiam in se, vel in quantum est virtualis et implicitus ordo aliorum sacramentorum ad eucharistiam: et ita qui desiderat alia sacramenta, virtualiter habet votum et desiderium eucharistiæ ut

finis universalis est; ex quo discernitur, an sit concedendum, quod eucharistia sit sacramentum majoris necessitatis quam baptismus. Respondetur enim, quod non simpliciter loquendo, sed baptismus est majoris necessitatis, quia simpliciter loquendo per ly eucharistia significatur hoc sacramentum in quantum particulare est, et distinctum ab aliis. Comparatio enim inter sacramenta fit secundum quod considerantur ut sacramenta particularia, et quantum ad realem susceptionem; si autem loquamur de eucharistia cum addito (nempe in quantum est finis aliorum sacramentorum) sic est majoris necessitatis quam baptismus, quia intentio finis, quæ imbibitur in mediis, magis est necessaria quam ipsa media; et incorporari nos cum Christo maxime necessarium est.

XXVII. Nec obstat, quod etiam baptismus habet pro effectu incorporare nos Christo, et facere membra ejus per regenerationem, et aperire nobis januam regni cœlorum, quod utique pertinet ad rationem finis: ergo non minus erit baptismus finis sacramentorum quam eucharistia. Neque enim istam unionem facit eucharistia nisi per gratiam, et eandem facit baptismus. Respondetur enim, quod baptismus facit istam incorporationem inchoative, dando nobis primam gratiam per modum causæ efficientis, quia per modum regenerantis; eucharistia autem dat istam unionem consummative et perfecte, non solum quia dat augmentum gratiæ, in quantum particulare sacramentum, sed quia continet ipsum Christum realiter, et unit nos ad ipsum in sua substantia realiter, quod baptismus solum facit participative; et ideo eucharistia operatur principaliter, et tamquam finis intentus istam unionem; ba-

ptismus autem tamquam medium; per quod effective incipimus vivere, et tendimus ad istam unionem Christi in se; et ideo agit in virtute eucharistiæ, sicut medium in virtute et intentione finis. Dicitur autem baptismus aperire nobis cœlum, quia remittit totam culpam et pœnam, quæ impedit introitum cœli, et sic tollendo impedimenta, ad ipsum perducit, ut docet S. Thomas quæstione LXIX, articulo VII; eucharistia autem dat nobis gloriam, in quantum ipsum Christum, qui est ultimus finis, nobis conjungit; et ideo eucharistia magis operatur per modum finis intenti, baptismus autem per modum tollentis impedimenta. Nec eo quod in quolibet sacramento datur suus particularis effectus, tollitur quod eucharistia non influat in eundem effectum, quia causa universalis eundem effectum causat, quem particularis, non diversum, nec duplicatum; nec impedit influentiam illius influentiam causæ particularis, sicut sol non impedit influentiam hominis ad generationem, neque rex influentiam ministri. Denique non est necesse quod qui suscipit aliquod sacramentum, aut facit actum charitatis, habeat expressum desiderium suscipiendi realiter eucharistiam, quia desiderium communicandi solum est votum, et desiderium eucharistiæ ut particulare sacramentum est, et respectu particularis effectus ejus, non respectu ejus, ut est finis universalis; sic enim est desiderium incorporandi nos Christo et passioni ejus ut redemptivæ, et alligatæ sacramentis principaliter et realiter in eucharistia, participative in aliis, quia ubi Christus est realiter, non potest non esse finis gratiæ, et eorum quæ dicunt ordinem ad Christum; sicut ubi est persona regis, est dignitas et potestas regia universalis.

QUÆSTIO LXXIV.

DE MATERIA EUCHARISTIÆ QUANTUM

AD SPECIEM.

DISPUTATIO XXVII.

DE MATERIA REMOTA SACRAMENTI
EUCHARISTIÆ.

ARTICULUS I.

Utrum ad consecrationem hujus sacramenti ita sit necessaria utraque species, quod non possit dispensari, quod in altera tantum fiat?

I. In hac quæstione agit S. Thomas de materia remota eucharistiæ, quæ est panis et vinum; et dividit illam per octo articulos. In duobus primis agit de ista materia in communi, ostendendo quod panis et vinum est materia hujus sacramenti; et secundo quod non requiritur determinata ejus quantitas ad consecrationem, dummodo super illam possint proferri verba formæ. In aliis duobus articulis, scilicet tertio et quarto tractatu specialiter de materia panis, scilicet, quod sit panis triticeus in forma usuali, et quod non refert ad validitatem sacramenti quod sit azymus vel fermentatus. In reliquis quatuor articulis agit de materia calicis, scilicet, quod sit vinum de vite, et quomodo sit illi admiscenda aqua, et quod non sit de necessitate sacramenti illam miscere; et denique quod in valde modica quantitate admiscenda sit.

I. Duo supponimus. Primum est, quod in qualibet specie, etiamsi consecratur sine altera, manet illa materia conversa in corpus Christi, et vere atque essentialiter sacramentum, licet non integrum in ratione convivii sacramentalis. Constat hoc ex ipso usu et praxi Ecclesiæ, quæ speciem panis, hoc ipso quod consecrata est, adorat, etiam antequam calix consecratur; et si contingat sacerdotem vel impedimento, vel malitia non consecrare calicem, eodem modo maneret ibi corpus Christi sub specie panis, quia semel consecratus panis non